

GUITMUNDUS

ARCHIEPISCOPUS AVERSANUS.

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, lib. VII, pag. 171.)

Guitmundus, *Guimundus*, *Guismundus*, *Wimundus*, *Witmundus* (1), monachus primum Crucis Heltonis, S. Audoeni, sive S. Leufredi, ord. Bened. in Normannia, diœcesis Ebroicensis, an. 1070 accessit in Angliam, rogatusque ab Angliæ rege Guillelmo I, (2) inter duces Normanniæ Guillelmo II, ut in Angliam secum moraretur, et ecclesiasticum regimen reciperet, illud recusavit, reversusque in Neustriam sive Normanniam, defuncto (3) anno 1079 Joanni, Rothomagensi archiepiscopo a rege et aliis designatus successor, (4) æmulis impediens archiepiscopatum non obtinuit, sed ab Odilone abbate suo licentia peregrinandi impetrata, a Gregorio VII exceptus benigne, et inter cardinales R. E. delectus (5) postea etiam ab Urbano II, qui ann. 1088 cœpit papatum gerere, metropolitanus Aversanus creatus est in Apulia regni Neapolitani, illamque Ecclesiam sibi commissam, teste Orderico (6) diu rexit, a quo an. 1090 et ulterius adhuc superstes: unde constat falli eos qui diem aiunt obiisse an. 1080 (7) vel anno 1084. (8) Ex Urbani II ad eum epistola fragmentum exstat in parte secunda Decreti Gratiani, causa 24, quæst. 2, can. 3, ex qua ætatem Guidmundi jam observavit Latinus Latinus tomo I Bibl. sacro-profanz, pag. 81. Itaque aut duos oportet statuere Guidmundos, vel, Ordericum si audiamus, errare necesse est Anonymum Mellicensem, qui cap. 102 Guidmundum ait a Gregorio VII Aversæ episcopum factum esse. Parum etiam congruit cum Orderici relatione quod idem Mellicensis Gui-

mundum facit abbatem Stabulensem, quæ aufugiens, ne agnosceretur, nomen *Christiani* assumpsit, factusque pontifex Apulorum, contra Berengarium disseruerit invictissime. Vide si placet quæ supra in *Christiano Druthmaro* t. I, p. 375, seq. (*Patrologia* t. CVI sub fin.), ubi etiam de *libris* ejus *tribus contra Berengarium*, scriptis dialogi more, interlocutore Rogerio monacho, medicinæ artis perito, cujus rogatu hoc opus aggressus est, illique dedicavit. Scripsit hos libros, observante Mabillonio, dum adhuc in Neustria versaretur, Gregorio VII pontifice, adeoque post concilium Romanum (cujus meminuit) habitum sub Nicolao II, an. 1059, et post Lanfrancum, quem magistrum suum appellat: sed ante concilium Romanum an. 1078. Nemo ille accuratius, iudice eodem Mabillonio, Berengarii (9) ejusque asseclorum varias opiniones indagavit, Editi fuerunt hi libri cum Algero per Erasmus Antwerp. 1530, et deinde Joanne Vlimmerio curante, Lovan. 1561, qui Paschasii etiam et Lanfranci de hoc argumento scripta subjunxit. Denique in Bibliothecis Patrum Parisiensibus, Coloniensibus tom. XII, et Lugdunensibus tom. XVIII, pag. 440, in qua (ut in prioribus) p. 465 etiam subjicitur. Guitmundi *De sancta Trinitate, Christi humanitate, corporisque ac sanguinis Domini nostri veritate Confessio*; ac postremo, pag. 468, *Oratio ad Guillelmum I Anglorum regem cum recusaret episcopatum*, qualis servata est ab Orderico Vitali in *Hist. eccles.*, p. 524-526.

(1) Non confundendus cum *Guimundo* Anglo, Augustiniano, de quo Lelandus cap. 163, neque cum *Guidone* Aretino, de quo supra.

(2) Ordericus Vitalis IV, pag. 524. Mabillon. pref. ad Sæc. VI Benedictin., § 58.

(3) Sammartian. t. I Gallizæ Christ, pag. 576.

(4) Ordericus, pag. 526

(5) Id.

(6) Ibid. adde Ughellum t. I Italiae sacrae, pag. 488, ubi successoris in archiepiscopatu Aversano Joannis mentio non ante annum 1095.

(7) Ita Labbeus, tom. I de S. E., pag. 402; Caveus et alii.

(8) Joseph Eggs in *Purpura docta*, pag. 81.

(9) Confer argumenta librorum Guitmundi recensentem Benedictum Pictetum in *Historia sæculi* XI, p. 524 seq.